Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30296
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

Iussit aliis apparitoribus luxorium sibi uinctum presentari.
Inflammatus est enim a diabolo. ut haberet inquam frenum ma-
licie sue laxaret. Qui presentato sic ad eum dixit. Luxori
quis te demencia a bono cursu uite tue seduxit. Ego te
summa dilectione habui. et cogitaui uerum inter primates offi-
cii mei tibi honorem dare. tu uero in contemptu imperatorum
et in iniuriam deorum putasti latere. et de potestate iudicii
mei te subtrahere. Luxorius dixit. Si adhuc in illo
errore ydolorum uersatus essem. numquam bonum honorem
adeptus essem. Sed nunc per dominum et uerum ihesum christum preclarum
honorem credo me accepturum. Preses dixit. Ergo me-
lior est ille quem dicis. quam imperatores nostri. aut dii inmor-
tales. Luxorius dixit. Illi impii tiranni sunt. nam dominus
meus ihesus christus celestis est. qui passus est et mortuus est. et resur-
rexit et nunc uiuit et in eterna secula seculorum permanet. Dii autem
uestri numquam uixerunt. Preses dixit. Si uis potestatem gla-
dii mei effugere. sacrifica diis. Luxorius dixit. Ego di-
dici sacrificare sacrificium iusticie. hoc est adorare dominum
ihesum christum. magis quam obsequi demoniis uariis. quia qui
his consenciunt. cum eisdem peribunt in perpetuum. Preses dixit.
Recludatur luxorius in carcerem grauissimis uinctis ca-
tenarum constrictus. et cogitet secum quod sibi expediat. Cumque
reclusus fuisset. oblati sunt ei duo paruuli. scissillus et ka-
merinus neophiti. Tunc preses qui eos obtulerat interro-
gauit. quid in eis cognouisset. At illi dixerunt. Christia-
nos esse audiuimus. Et quia non erat etas eorum ad dan-
dum responsum interrogacionis. iussit eos sub officii
custode esse. Post aliquos dies iussit luxorium suis tri-
bunalibus representari. Cumque representatus fuisset. sic ad
eum truculenta uoce ait. Quamdiu te luxori in his
tormentis lacerabis. Consule saluti tue. nega dominum
tuum et sacrifica diis. Luxorius dixit. Ego negare dominum
meum ihesum christum non possum. quia anima christiana confitetur sicut
et ego. Preses dixit. Adora potestatem deorum. ut tibi uita
concedi possit. Luxorius dixit. Si tibi cum natura concessum
est responsum percipere et reddere. pre timore dei consensum
prestare non possum. quomodo ego figmenta lapidea aut
aurea uel argentea. uenerari aut adorare possum.
que non palpebras suas ad me cernendum mouere pos-
sunt. aut os suum ad loquendum mihi non preualent aperire.
Quo commotus ita preses. iussit sanctum luxorium .iiii. quater-
nionibus flagellari. et ita famulus dei securus in christo inter
uerbera stabat ut diceret alium pro peccatis cedere quam se ip-
sum. Deinde iussit eum fustibus contundi. et electus dei inter
ictus fustium fortis et constans laudes domino decantabat.
ut intelligeres per nullum tormentum corpus illius contingi.
Sed cum uideret preses iniquissimus et sacrilegus. ut tam seuis-
simis penis non posse sanctum luxorium deficere. sed impa-
cienciam suam paciencia magis fuisse superari. dedit
sentenciam die .xii. kalendas Septembrium illis paruulis scissil-
lo et kamerino et sancto Luxorio. Sed illos paruulos
iussit extra ciuitatem kalaritanam gladio animaduer-
ti. atque inhumatos relinqui. Sed quorum corpora ille
impius estimabat proicienda. dominus ihesus christus eorum in-
nocencie fide preciosam in se suscepit. Nam christia-
ni nocte tulerunt ea. et ubi nunc est sedes sancti luciferi con-
fessoris illos sepelierunt. Sanctum enim quoque luxorium iussit
deserto loco capite plecti. ut non eum christiani
colligerent. et sibi martirem facerent. Tunc satellites presi-
dis duxerunt eum in territorium fani tianensis. et extra
municipium decollauerunt eum. Nam quod homines iniquis-
simi putauerunt in heremo sanctum luxorium perdere
posse. pro nomine suo christus paradysum illi ibidem ostendit.
Nam et tanta multitudo christianorum ad famam mar-
tyris huius ex diuersis locis ibidem conuenit. quam dinumera-
re nemo poterat. qui eum ymnis et diuersis lumi-
naribus conditum suauibus odoramentis extra oppidum in
cripta sepelierunt. Cuius fide passionis unusquisque pro-
ut necesse fuerit habet. quia eum inuocauerint salutaria
consequentur beneficia. agentes gratias ihesu christo domino
nostro. qui tam dignum martirem sibi coronauit. Cui est honor
et gloria in secula seculorum Amen. .E. .xi. K. Octobris.

Passio sancti Mathei apostoli et euangeliste.

ERANT Itaque duo magi
zaroes et arfaxat apud ethiopes.
in ciuitate eorum magna que dicitur nan-
daber. in qua erat rex egyppus. Hunc
itaque ludificabant hii duo ma-
gi. ut dicerent se deos esse. et credebat eis rex et omnis
populus memorate urbis. et ibat opinio eorum per totam ethi-
opiam. ita ut ex longinquis regionibus multi ad ethi-
opiam peruenirent et adorarent eos. Faciebant ergo subi-
to gressus hominum figi. et tamdiu inmobiles stare.
quamdiu ipsi uoluissent. Similiter et uisus hominum et
auditus a suo officio refrenabant. Imperabant ser-
pentibus ut percuterent et ipsi incantando
curabant. Et ut dici uulgo solet malignus
maiorem reuerenciam exhibent timoris. quam benignus
amoris. Ergo ut sepe dictum est deus hominum curam
gerens. matheum contra hos apostolum misit. Qui ingressus
ciuitatem. cepit detegere prestigia eorum. Omnes enim quos
illi figebant. ille in nomine christi soluebat. quos illi ce-
cabant. hic illuminabat. quibus illi auditum tulerant
iste reddebat. Serpentes etiam quos illi ad percucien-
dos homines excitabant. hic conuertebat in somnum. et
percussiones eorum facto signo crucis christi curabat. Hunc
cum uidisset ethiops eunuchus candacis nomine. qui
fuerat a philippo apostolo baptizatus. procidit ad pedes
eius adorans et dicens. quia respexit deus ciuitatem istam. ut
liberaret eam de manu duorum magorum istorum. quos pu-
tant stulti homines deos esse. Eunuchus uero candacis no-
mine suscepit eum in domum suam. Et ueniebant ad eum
omnes amici candacis eunuchi. et audiebant uerbum
uite et credebant in christo. et baptizabantur plurimi
uidentes quod omnia que magi faciebant mala hominibus.
hic dei apostolus euacuaret. Illi enim uulnerabant quos
potarent ut uulnerati ipsos rogarent. quod ideo curare